

Appendix. — Europa Nro. 49.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiare inter Vivos et Mortuos.

Ad Ovidium in Elisium.

De Mundo 3. Junii 1808.

Inter omnes excretiones in corpore humano nulla habet tam praeseminentem situm, nec tam varias occupationes, quam nasus. Jam ante inventionem Compassi ostendebat Peregrinatoribus, et Nautis oras, qua cursum dirigere debeant, et adhuc hodie solent rudiores ad quaestionem, qua via duceret, respondere: oportere nasum sequi. Stat nasus, non quemadmodum alia organa introrsum in corpus, sed extrorsum in mundum universum. Visus, auditus, et gustus penetrant per totidem infundibula in caput, solus nasus protuberat ex capite; et naturae scrutatores observarunt, in puncto odoratus hominem et canem esse sibi oppositos, macri enim homines habent plerumque magnum nasum, et odoratum delicatum, vertagi autem plane nullum; ideo D. *Campe* proposuit, ut h. c. adeo nobilis hominis sensus non amplius latina lingua, sed germanica nominetur, voluitque nomen *Camera odoratus* substituere. Quantumcunque patrioticum hoc nomen sit, non tamen valet pro universis occupationibus nasi; nam saepius etiam est signum vini, si Possessor multum cum vino conversatus esset; quemadmodum in hoc casu cupro obducitur, ita sensum deficit, si Proprietarius ad aram Veneris multum litavit; ergo non tantum est Camera odoris, Verum etiam ordo cupreus Bachi, et testimonium authenticum grationalium Veneris. Nec tamen solae h. c. sunt notae characteristicae nasi, sed datur etiam diversus modus nasum gestandi; ita solent superbi, quemadmodum equi caput, ita homines nasum attollere; itaque vox *Camera odoris* non exprimit omnes qualitates nasi; hinc ego svadeo, ut plus significans vox *nosus* in aeterna tempora retineatur.

Vulgus indiget informatione relate ad odoratum; sunt enim exempla, quod unicus nasus omnes reliquos sensus suppleat. Parcis temporibus nostris profecto bonum esset, si oculis, ocularibus, et auribus carere possemus. Professores ad percolendum odoratum possemus inter Aethiopes multos reperire, quo in puncto quanta perfectio obtineri possit, sequentia pro argumento sunt:

Temporibus Martialis vixerat Romae quidam *Mamura*, qui ex solo odore agnovit, an metallum, quod ipsi ferebatur, corinthiacum sit; erat summus antiquitatum cultor, quam praedilectionem omnibus sensibus sequebatur. Ita distinguunt hodie librorum collectores per solum odorem, an liber quispiam in Anglia, Hispania, Italia, vel alibi compactus sit. Bachi cultores agnoscunt duce hoc organo locum originis, et annum aetatis vini; Diplomatici autem aetatem et authenticitatem alicujus documenti. Hic erat casus apud defunctum *Gatterer*; Generaliter Politici habent odoratum admodum perpolitum. In India orientali sunt mercatores, qui ex solo odoratu qualitatem, et valorem metalli agnoscunt, ut quamcunque artificiose argento obducta moneta cuprea illos fallere non possit. Multi caeci, imo etiam sanorum oculorum homines in tenebris a longe agnoscunt amicos suos solo odoratu. Pragae fuerat quidam Monachus, qui solo odore agnovit rem suorum amicorum, aut quis talem in manu habeat, imo scivit virtuosos a sceleratis distinguere, praesertim vero luxuriosos, quam habilitatem dicuntur etiam de mundanis hominibus multi habere; ad quod quidam evaporationes multum conferre possunt; ergo etiam sagacissima occultatio non amplius sufficit ad evitandam omnem suspicionem, quem statum multi eruditi *statum mali odoris nominant*.

Bougainville narrat, occasione excensionis in *Othaiti* Insulanos ejates irruisse in famulum Botanici *Commersan*, vestesque ejusdem discerpsisse, ubi ad stuporem omnium patebat, servum hunc fuisse mulierem in vestitu virili; ergo *Ottahitae*, quibus genus vestitus Europaeorum ignotum est, ex odore agnoverunt sexum personae, quae secus vitae inculpatae fuerat. Ductores Peregrinatorum *Smirna*, aut *Aleppo* versus *Babylonem* plane in tenebris agnoscunt iter, et norunt distantiam indicare in medio deserto, arenam nempe olfacientes; indicium praebere dicuntur certae species herbarum et plantarum, quae in certis ab urbe hac distantis crescunt; organum istud hominis posset longe adhuc magis perpoliri, quod alii jam dudum opinabantur, cum longe plures mali, quam boni odores in mundo dentur. *Lavater* dicit in Dissertatione sua de aeternitate: Palituram corporis, et exaltationem sensuum in vita futura eo deventuram, ut cogitationes odoratu cognoscantur, Aliqui jam in hac vita sibi talem attribuunt perfectionem, quam in multis itinerantibus observamus, qui per regiones cum celeritate transvolantes, cum vera *nasuta* sapientia de moribus, caractereque populorum judicium ferunt. Quod animalia acriorem nobis habeant odoratum, certum est; argumento est sequens narratio: Mulier quaedam

habebat simium, erga quem hera, et vicissim hic erga heram suam speciali ferebatur inclinatione, ut nunquam eam reliquerit. Vice quadam repente tantam ab illa acceperat aversionem, ut nec cubile, in qua illa fuerat, ingredi voluerit, et ecce! paucos intra dies accepit hera contagiosae variolae, quae per urbem grassabantur. Ex odoratu nempe longe ante agnovit imminere malum, de quo nemo somnavit; depulso malo, et hera sanitati restituta, prior etiam apud simium rediit familiaritas, et propensio. Paulo post incidit iterum hera in febrim, ast tunc illam simius non deseruit, quia febris non erat maligna.

Nunc verto nasum ex Elisio ad Politicam, et narro, quod audio: Imperator Galliarum 23. Maii Bejonna ad Fanum S. Joannis Luisii profectus est, ubi portum, omniaque opera ibidem quam attentissime lustravit, quorsum etiam DD. *Promy*, et *Sganzin* pontium, et viarum Inspectores constituit. Accersito ad se consule Civitatis, aliisque publicis Officialibus, ab iis omnia, quae civitati necessaria essent, percontatus est. *D. Amos*, Director Instituti Litterarum systematis Pestalozziani, per M. Ducem Montanum cum officiosis missus aequae Bajonnam advenit, refertque, aliam per omnem Hispaniam esse pacem. In Navarra omnis nobilitas et populus palam exultat, et cum impatientia expectat impendentem rerum mutationem — Generalis *Du-pont* nominatus est Gubernator Gaditanus.

Etiam Regina Hetruriae advenit 24. Maii ad Fontem Bellaqueum, quam mox secuta est caterva Medicorum, Cappellanorum, aulicorum, et mulierum; Eodem adhuc vespere omnes Augusti hospites, puta; Rex et Regina Hispaniae, Regina Hetruriae, et Don *Francisco* curru Caesareo perlustrarunt amplissimas, amoenissimasque silvas circa arcem, ubi omnes Venatores, et Officiales silvanales in ornatu festivo venientibus ad obsequia erant. Sequenti die Rex Primores civitatis ad se admisit, quem consul nomine omnium solutavit.

In Italia, praesertim in ditionibus pontificiis, quae regno Italiae incorporatae sunt, caelum plenum est fidibus, et populus sperat tempora, ubi panis in arboribus crescet, et assa columba in os volabit; cum primis laetatur Anconitana Urbs, cujus naves insultibus Piratarum Barbariae constanter expositae fuerant, et ideo omne depressum jacebat commercium; nunc quidem commercium istud etiam turbatur per excubitorias Anglorum naves, quae hinc inde latitant, sed haec cessabunt, ubi pax restabilita fuerit.

Rex Vestphaliae 26. Maii ex visitatione provinciarum suarum Casselliam reversus est, cujus reditus sonitus tormentorum populo annunciabat. Proximo mense futurus est generalis statuum Regni conventus, in quo salutare, praer-

sertim in Justitiis; perferentur leges, quorum projecta per respectivas Consilii status sectiones jam elaborata sunt; Pro tempore perdurantis Diaetae Rex Deputatis statuum ex consideratione extraordinariae caristiae Diurna, et expensas itinerales resolvit.

Teloniorum, et vectigalium Director Generalis in Anglia refert Gubernio; jam ultra 100 naves oneratas, quae ad Continentem ire volebant, rediisse, cum nullibi exscendere potuerint, adeo nempe severe observatur Edictum exclusionis navium in omnibus portibus Continentis. Peritissimi in arte, attentionem vigiliarum eludendi, fatentur, nullo unquam tempore Angliam a Continente adeo praecusam fuisse. Gubernium anglicanum, et Legatus Portugalliae acceperant ex Brassilia litteras, quae describunt populi exultationem circa Regis eorsum adventum. — Quam bonus amicus esse soleat Anglia suis foederatis, argumento est casus sequens, in quo singularem suam amicitiam erga foederatam Sveciam testata est Anglia; nempe: Occupant nuper Angli ad *Bladstrand* 10. naves Jauicas, frugibus oneratas. Gubernium Svecicum quodcunque, quod Anglia desideraret, obtulit pretium, cum in Svecia extrema sit penuria; Ast Angli contempta iustissima sui foederati Regis petitione, vano sub praetextu, quod circa naves has in Anglia iudicium ferri debeat, easdem in Angliam devehit, quod factum haud bonum in Anglia produxit sanguinem. — Relationes Nautarum affirmant, 25000 armatorum ex Anglia Gothenburgum advolare; sed fama haec videtur crescere eundo; unde enim tanta militia sustentabitur? Angli ipsi parum de alimentis habent, Sveci adhuc minus. — Nunc iterum de mutatione ministerii in Anglia clamor est.

Biographia.

Publius Ovidius Naso Eques Romanus, Sulmone in Abruntio natus; 43 Annis ante Christum natum venit Romam, et Anno aetatis 16. Studiorum causa Athenas. Pater voluit eum ad negotia publica parare, sed malus spiritus stimulavit eum ad Poesim, cui semet exclusive addixit. Reducem Romam, Augustus eum ad aulam suam accepit, sed scripserat ibidem librum amorum, et ideo ad Pontum Euxinum in exilium relegatus est. Communis tamen opinio est, aliam debuisse causam relegationis fuisse, quam librum amorum, cum idem Augustus Horatium in aula retinuerit, cujus tamen carmina, et Odae magis lubricae sunt, quam Ovidii; Dicunt nempe aliqui; scripsisse illum aliquid de incestu, quem Augustus cum filia sua Julia commiserat. Obiit Themiade, loco nempe exilii Anno aetatis 57. post Christum natum anno 17. Scripsit librum *Metamorphosis*; *Elegias*; *Heroides*; aliaque diversa opera.

sertim in Justitiis; perferentur leges, quorum projecta per respectivas Consilii status sectiones jam elaborata sunt; Pro tempore perdurantis Dietae Rex Deputatis statuum ex consideratione extraordinariae caristiae Diurna, et expensas itinerales resolvit.

Teleniorum, et vectigalium Director Generalis in Anglia refert Gubernio; jam ultra 100 naves oneratas, quae ad Continentem ire volebant, rediisse, cum nullibi exscendere potuerint, adeo nempe severe observatur Edictum exclusionis navium in omnibus portibus Continentis. Peritissimi in arte, attentionem vigiliarum eludendi, fatentur, nullo unquam tempore Angliam a Continente adeo praecusam fuisse. Gubernium anglicanum, et Legatus Portugalliae acceperant ex Brassilia litteras, quae describunt populi exultationem circa Regis eorsum adventum. — Quam bonus amicus esse soleat Anglia suis foederatis, argumento est casus sequens, in quo singularem suam amicitiam erga foederatam Sveciam testata est Anglia; nempe: Occuparant nuper Angli ad *Hadstrand* 10. naves javicas, frugibus oneratas. Gubernium Svecicum quodcumque, quod Anglia desideraret, obtulit pretium, cum in Svecia extrema sit penuria; Ast Angli contempta justissima sui foederati Regis petitione, vano sub praetextu, quod circa naves has in Anglia iudicium ferri debeat, easdem in Angliam devehit, quod factum haud bonum in Anglia produxit sanguinem. — Relationes Nautarum affirmant, 25000 armato:um ex Anglia Gothenburgum advenire; sed fama haec videtur crescere eundo; unde enim tanta militia sustentabitur? Angli ipsi parum de alimentis habent, Sveci adhuc minus. — Nunc iterum de mutatione ministerii in Anglia clamor est.

Biographia.

Publius Ovidius Naso Eques Romanus, Sulmone in Abruntio natus; 43 Annis ante Christum natum venit Romam, et Anno aetatis 16. Studiorum causa Athenas. Pater voluit eum ad negotia publica parare, sed malus spiritus stimulavit eum ad Poesim, cui semet exclusive addixit. Reducem Romam, Augustus eum ad aulam suam accepit, sed scripserat ibidem librum amorum, et ideo ad Pontum Euxinum in exilium relegatus est. Communis tamen opinio est, aliam debuisse causam relegationis fuisse, quam librum amorum, cum idem Augustus Horatium in aula retinuerit, cujus tamen carmina, et Odae magis lubricae sunt, quam Ovidii; Dicunt nempe aliqui; scripsisse illum aliquid de incestu, quem Augustus cum filia sua Julia commiserat. Obiit Theiide, loco nempe exilii Anno aetatis 57. post Christum natum anno 17. Scripsit librum *Metamorphosis*; *Elegias*, *Heroides*, aliaque diversa opera.